



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. X. Vtrum pueri Iudæorum vel aliorum infidelium sint inuitis parentibus
baptizandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Matth. ult.

Matth. ult. *cumque docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus S. cum ergo paruuli non sint capaces doctrinae recipiendae, non sunt etiam capaces baptismi in ea etate recipiendi.*

Resp.

Præceptum docendi est tantum respectu adultorum.

Resp. neg. consequentiam, quia præceptum docendi solum imponitur Apostolis respectu adultorum; instruuntur enim quomodo in gentium conuersione se gerere debeant, quod scilicet debeant adultos docere fidei mysteria, & ut obseruent Dei mandata, tum debeant instructos baptizare, unde illis eorumque sequacibus præscribitur quomodo se gerere debeant ut adulti baptismum vtiliter suscipiant, simili modo dicitur Marci ult. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, quæ sententia significatur in adulto fidem requiri ad baptismum vtiliter recipiendum, nullo tamen modo vult Scriptura sine præuia instructione baptismum non posse valide conferri, vel non posse etiam conferri vtiliter paruulis.* Hoc argumentum contra alios hæreticos vim habet, cum doceant Sacramenta solum deferre ad excitandam in nobis fidem; contra catholicos vero nihil urget, cum hi assignent longe alium effectum Sacramentorum, nimirum gratiæ infusionem, cuius cum infantes sint capaces & sacramentalis actio possit circa illos exerceri, sequitur illos vtiliter posse baptizari.

Obiectio 2.
1. Petr. 3.

Obijciunt 2. quod 1. Petri 3. homines dicantur salui fieri in baptismo interrogatione bonæ conscientie, quam infantes habere non possunt.

Resp.

Apostolus describit baptismum per effectum quem in adultis habere potest.

Resp. satis constat etiam apud Anabaptistas baptismum non esse formaliter interrogationem bonæ conscientie, nec Apostolus eo loco tradit essentiam baptismi, sed solum eum describit per effectum quem in adultis habere potest, quod scilicet gratia & iustitia, quæ confertur in baptismo, tribuat facultatem fiducialiter accedendi ad Deum, eumque, tum pro se, tum pro alijs obsecrandi. Adde etiam huius interrogationis fundamentum conferri paruulis in baptismo.

ARTICVLVS X.

Utrum pueri Iudeorum vel aliorum infidelium sint inuitis parentibus baptizandi?

Cap. contra Christianos.

CONSTAT baptismum collatum filijs infidelium inuitis parentibus esse validum, prout contra paucos Theologos habet communis Doctorum sententia; & videtur confirmare sensus Ecclesiæ, nam cap. contra Christianos, de hæreticis, in 6. insinuat ita baptizatos subiacere iurisdictioni Ecclesiæ, accedit quod Ecclesiæ non curet tales re-baptizari, cum ad etatem adultam peruenerint, quo supposito quaerit D. Thom. num licet baptismus inuitis parentibus Iudeorum vel infidelium filijs conferri possit? ubi

Sæsus quaestio D. Th.

Notandum quaestionem non intelligi de filijs eorum infidelium qui baptismum receperunt, cum constet illos ante vium rationis inuitis parentibus posse baptizari; nam ratione subiectionis parentum Ecclesiæ indirectam in eos habet potestatem, quamdiu carent vsu rationis, suntque sub parentum cura. Constat Ecclesiæ potest præcipere parentibus sibi subiectis ut suis prolibus baptismum procurarent, potestque refractarios vel negligentes punire; igitur potest illis inuitis baptismum eorum filijs

procurare. Per infideles ergo D. Th. intelligit non baptizatos, qui iurisdictioni spirituali Ecclesiæ nondum sunt subiecti, quales sunt etiam catechumeni ante baptismum reipsa susceptum. Respondetque duabus conclusionibus.

Prior est, infidelium filij in adulta etate constituti possunt etiam inuitis parentibus licet baptizari, si videlicet consentiant, immo ad hoc induci possunt. Probatur, adultus qui ratione uti potest, est sui iuris in his quæ ad iustificationem & salutem æternam pertinent, neque potest in illis per quemquam iure impediri. 2. adultus non baptizatus tenetur baptismum non diu differre, & in executione illius præcepti non pendet à parentibus; ergo potest licet eundem recipere etiam inuitis parentibus; ergo ipsi etiam inuitis potest baptismum licet ei conferri, potest etiam induci ad illum recipiendum, cum sit pium & laudabile aliquem excitare ad obseruationem diuinorum mandatorum, & ad illa procuranda quibus à statu peccati recedat, & admittatur ad diuinam amicitiam.

Posterior: filij infidelium carentes vsu rationis non possunt licet eisdem inuitis baptizari, adde, velijs quorum cura subsunt, v. g. tutoribus, de qua conclusione nonnulla est controuersia; itaque

DVBIUM I.

Utrum liceat inuitis parentibus baptizare infantes infidelium qui nullo modo Ecclesiæ sunt subditi?

NOTANDVM si saltem alter parens sit fidelis, seu baptizatus, puerum potest illis inuitis baptizari; quia cum ius singulorum in prolem sit æquale, vel pene æquale, quando alter subditur Ecclesiæ, illa ratione subditi in fauorem religionis potest puerum inuitis parentibus baptizare, eorumque curæ subducere, cum enim eo casu possit sibi subdito præcipere ut baptismum procuret infanti, & fidelis id possit facere, immo teneatur, quantumuis compars infidelis repugnet, sequitur quod Ecclesiæ inuito fideli possit eundem baptizare, & si necesse sit ad conseruandam baptismi sanctitatem parentum potestati subducere. ita communiter Doctores, & insinuat in Concil. Toletano 3. cap. 14. ubi dicitur, *Iudeis non liceat Christianas habere uxores &c. & filios, qui ex tali coniugio nati sunt, assumendos esse ad baptismum, scilicet etiam inuitis parentibus; & clarius in Toletano 4. cap. 61. filij, qui ex talibus (Iudeo scilicet & Christiana) nati sunt, fidem atque conditionem matris sequantur. similiter & illi qui procreati ex infidelibus mulieribus, sed fidelibus viris, Christianam religionem sequantur. ubi & alia ratio insinuat, quod scilicet, si nolit pars infidelis conuerti, atque adeo coniuges sint separandi iuxta illud decretum, proles debeat sequi partem Christianam in fauorem fidei, prudentia tamen opus est, neque est præcipienda collatio baptismi, vel si putetur parens infidelis conuertendus, vel attendus ut consentiat, vel prudenter putetur quod proles non poterit abstrahi absque summa difficultate, & non sine aliqua nominis Christiani iacturâ. Idem proportione dicendum si proles sit sub cura plurium tutorum, quorum vnus saltem sit Christianus; idem etiam dicendum quando alter*

parentis

parens consentit, quamvis uterque sit ethnicus, quia consensus unus tribuit ius Ecclesiae baptizandi parvulum etiam altero invito, ut patet ex dictis. hoc praemissis.

Resp. in casu quaestionis nullo modo licere extra casum necessitatis baptismum parvulo conferre.

Probatur vel proles baptizata esset relinquentibus parentibus, vel subducenda illorum potestate, neutro autem casu potest licite baptismus conferri infidelium filiis, ijs repugnantibus; ergo &c. Minor probatur pro priori parte, si proles baptizata relinqueretur sub cura parentum infidelium, est apertissimum periculum profanationis baptismi, cum non possit aliud prudenter praesumi vel sperari, quam quod prolem sint educaturi in Gentilismo, Iudaismo vel Mahumetismo, immo instillaturi odium religionis christianae; ergo non potest sine gravissimo sacrilegio baptismus eo casu conferri.

Probatur etiam pro secunda parte; parentes habent ius prolem educandi & gubernandi, contra quod ius aperte fieret, si proles baptizaretur cum intentione illam subducendi, & proinde nullo modo licet baptizare cum huiusmodi intentione, aliis liceret baptismum contra invitos defendere.

1. Constat ex Conc. Toletano 4. can. 55. nemini adulto vim inferendam ut credat & baptismum suscipiat; igitur neque vis inferenda est parentibus infidelibus in casu dubij, ut proles baptizetur, cum ea ratione qua cogi possent ad secundum, possent etiam ad primum; non enim minus tenentur baptismum sibi curare, quam suis prolibus.

3. Id moraliter censendum est illicitum quod Ecclesia nunquam usurpavit, nec usurpandum censuit etiam oblati occasionibus; nunquam autem censuit baptizandos invitis parentibus filios infidelium nullo modo sibi subiectionum.

Confr. 1. longe aliter se gerit circa filios Apostatarum quos etiam invitis parentibus curat baptizari; ergo signum est quod non agnoscat se habere potestatem baptizandi invitis parentibus aliorum infidelium filios.

Confr. 2. si huiusmodi potestas competere Ecclesiae, eidem competere potestas praecipienda ut parentes suis prolibus baptismum procurarent, eosque puniendi ob negligentiam, quae omnia sunt aliena a sensu Ecclesiae, & Apostoli dicentis ad Corinthios 5. quid mihi de ijs, qui foris sunt indicant? quibus verbis agnoscit se nullam in infideles habere iurisdictionem. Sequela probatur; potestas baptizandi infantem invitis parentibus videtur potius ex eo quod possit suppleri eorum negligentia, quod si ita est, cur non possint etiam adigi ad officium praestandum?

Dices non posse, quia Ecclesiae iurisdictioni non subduntur.

Resp. hinc sumi argumentum quod neque proles illis invitis possit baptizari, cum non possit baptizari sine profanatione baptismi, vel sine latione iuris patrum, quod ius ab illis auferri non potest; cum Ecclesia nullam in eos habeat iurisdictionem, ex quo sequitur quod eis invitis proles non possit baptizari, vel invitis infidelibus, sub quorum cura proles est constituta.

Adverte ex prima probatione deduci non solum non posse baptizari talem parvulum quando parentes actu repugnant, sed etiam quando igno-

rant, quia etiam eo casu unum ex allatis incommodis sequitur.

Petes 1. an in dubio de usu rationis proles baptizari possit invitis parentibus?

Resp. non posse. 1. quia parentes in dubio non debent privari iure quod legitime possident. 2. vel re examinata remanet dubium de usu rationis, vel fertur positum iudicium in alterutram partem; si iudicetur prolem uti ratione, non potest baptizari nisi volens & instructa in rebus fidei; si vero iudicetur nondum uti ratione, idem omnino dicendum quod de parvulo; si dubium remaneat, non potest baptismus sine gravi sacrilegio praecipitari, saltem extra casum necessitatis est differendus donec certius constet de usu rationis. quia si in tali dubio baptismus conferatur, Sacramentum aperte exponitur periculo nullitatis, quod in gravem illius cedit iniuriam. Dico extra casum necessitatis, quia filij fidelium, de quorum usu rationis dubitatur, possunt baptizari, cum nulla censeatur fieri iniuria Sacramento, si ei, qui versatur in manifesto damnationis periculo, consulatur medio incerto; & minus malum est, Sacramentum exponi alicui periculo nullitatis, quam proximum relinqui in aperto periculo damnationis. quid in ea circumstantia censendum de filiis infidelium, ex dicendis facile constabit.

Petes 2. an proles baptizata invitis parentibus infidelibus, possit ab eis auferri ut christianae educetur?

Resp. posse, quia per baptismum subijcitur Ecclesiae, quae potest procurare ut sanctitas Sacramenti conservetur, atque adeo media ad id necessaria adhibere. cum ergo ad hunc finem sit necessarium prolem a parentibus abstrahere, consequens est quod Ecclesia illo medio uti possit, immo teneatur, nisi gravis commotio sequatur & periculum gravius malis cum per se loquendo obligetur adhibere media moraliter necessaria ad sanctitatem Sacramenti conservandam.

Dices parentes habent ius prolem educandis, quo non possunt privari propter supervenientem baptismum. Confr. iniuria praecedens non potest tribuere ius Ecclesiae, & elidere ius patrum, quod est antiquius.

Resp. neg. assumptum. pro quo

Notandum in concursu plurium ius altius elidere minus, ut patet in concursu iuris quod habet creditor ut sibi restituatur, cum iure quod habet parens ut sibi a filio prospiciatur. nam propter concursum iuris paterni, eliditur ius creditoris, ita ut si nequeat utrique satisfieri, succurrendum sit patri extreme indigo neglecta restitutione creditori alioquin facienda: cum ergo in praesenti concurrant ius parentum ad prolem educandam, & proinde ius quod habent ut proles sibi cohabitaret, & ius Ecclesiae ut baptismus non profanetur, & ut proles baptizata sanetè educetur, quod ius praepoderat priori, quo casu illud servari nequit salvo priori, prius eliditur & cedit posteriori, quantumvis posterior tempore advenienti. unde si Ecclesia non possit ius suum servare indemne sine elisione iuris paterni, potest absque ulla iniuria in parentes prolem baptizatam ab illis abstrahere.

Ad confirmationem Resp. iniuriam non proprie tribuere ius Ecclesiae, sed illud acquiri per baptismum validum, ratione cuius persona iurisdictioni ecclesiasticae subditur. quamvis ergo baptismus fuerit illicitè collatus, tamen ius parentum non tollitur formaliter ratione iniuriae,

D d 2

sed ra-

45.

Neque in dubio de usu rationis.

46.

Proles invitis parentibus infidelibus baptizata, potest ab eis auferri, ut christianae educetur &c.

47.

In concursu plurium iurium ius altius elidit minus, licet antiquius.

Iniuria non tribuit proprie ius Ecclesiae, sed baptismus.

sed ratione iuris superuenientis, cui cedit ius paternum prolem educandi, & tollitur per mutationem status in prole; quemadmodum matrimonium etiam per iniuriam consummatam, redditur insolubile quoad vinculum, non propter rationem iniuriae, sed propter circumstantiam consummationis superuenientem; quod in presenti casu etiam potest confirmari ex eo quod Ecclesia nullam iniuriam intulerit, iniuria vero ab eius ministro commissam non debet illi prauidicare.

In superioribus dixi quod Ecclesia teneatur prolem abstrahere, quando non sequitur gravis commotio &c. quia si grauiora mala timeantur, non teneatur prolem abstrahere, & idcirco forte non ita frequenter tenetur abstrahere, quia moraliter loquendo saepe huiusmodi mala possunt timeri, in quibus diiudicandis opus est prudentia in casibus particularibus, spectatis circumstantiis potentiae personarum, odij quod sequi possit in religionem christianam, periculi tumultuum &c.

Obiectio 1. Contra dubij resolutionem obijciuntur 1. quod Matth. ult. imponatur Ecclesiae praeceptum conferendi baptismum; igitur eius ministri possunt illum conferre filiis infidelium in casu dubij etiam inuitis parentibus.

Resp. neg. consequentiam, quia praeceptum baptizandi intelligitur mandandum executioni saluo iure cuiusque, si autem in nostro casu paruulus inuitis parentibus baptizaretur, eorum ius violaretur, ut ostensum est.

Contra, parentes non permittentes ut proles baptizetur, abutuntur potestate patria & iure suo, cum teneantur ei baptismum procurare.

Resp. hoc sensu abuti quod negligant facere id ad quod obligantur, propter quem abutuntur non licet alijs prolem eorum potestate subducere; quemadmodum non licet privato abstrahere prolem a parentibus eo quod parentes negligant illam fidei articulos docere; Ecclesia autem in nostro casu comparatur cum infidelibus tanquam priuatus cum priuato.

Obiectio 2. Obijciuntur 2. parentes facere iniuriam proli quae ius habet ad baptismum recipiendum, & per consequens posse alium illis inuitis prolem baptizare.

Resp. 1. neg. antecedens, non enim dici possunt iniuriam proli irrogare quod negligant illi procurare baptismum, sed ut summum peccant contra praeceptum Domini quod parentes suo modo respicit, neque proles ita ius habet ad recipiendum baptismum ut quicumque negligat baptismum illi procurare, respectu eius committat iniuriam. Adde quod licet haberet ius proprium ad baptismum, quamdiu tamen non utitur ratione, in eo censetur dependere a voluntate parentum, quibus competit cura prolium, & proinde si negligat baptismum procurare, non peccabunt peccato iniuriae respectu proli.

Resp. 2. neg. consequentiam; quia licet concederemus in casu obiectiois parentes peccare contra iustitiam, non posset tamen alius cum eorum iniuria id prestare, seu baptismum conferre.

Obiectio 3. quod Deus habeat ius ut proles infidelium baptizentur.

Resp. Deum non committere executionem iuris sui ministris Ecclesiae cum detrimento iuris paterni, & eo modo ex quo sequeretur immortale

odium religionis catholicae, & Sacramentorum Ecclesiae, & similia, quae facile sequerentur si paruuli possent baptizari inuitis parentibus nullo modo Ecclesiae subiectis. Non sequi, Deus habet ius ad hoc vel illud; ergo ministri possunt illud ipsum quomodo locumque exequi, satis patet. nam Deus habet ius ut adultus baptizetur, & tamen non sequitur quod inuito possit baptismus conferri; item habet ius ut peccator non sumat Eucharistiam, & tamen non sequitur eam posse negari ab Ecclesia ministris occulto peccatori publice petenti.

Petes 1. an liceat baptizare paruulum procul a parentibus infidelibus constitutum.

Resp. distinguendo: vel enim parentes cognoscuntur, vel saltem adhibita morali diligentia cognosci possunt, & potest puer eis restitui, immo debet: hoc casu non potest baptizari propter allata incommoda, vel ignorantur parentes & hi quorum cura subest paruulus, nec spes est etiam adhibita diligentia posse cognosci, tali casu potest paruulus baptizari, cum cessent pericula propter quae baptismus non est conferendus infidelium filiis, & paruulus in ea circumstantia censetur orbatus parentibus, & is apud quem inuenitur possit illius curam gerere, & salutis media procurare. videri potest Caier. hic, Sotus distinct. 5. quaest. vnica art. 10. §. contra hanc autem, & alij. immo videtur ad id obligari, & Ecclesia in his circumstantiis potest eum virgere ut paruulum curet baptizari. quod si parentes postmodum compareant, proles non est illis restituenda, cum, ut patet ex superioribus, per baptismum transierit in ius Ecclesiae. quod non solum verum est quando proles abique parentum iniuria ab illis est abstracta, sed etiam quando cum iniuria eorumdem abstracta est. nam praecedens iniuria non facit ut baptismus illicite conferatur paruulo, qui morali adhibita diligentia non potest parentibus restitui. nam eo casu retentio subsequens non est formaliter iniusta, sed puer potest absque peccato retineri, & eius cura geri potest, immo & debet ab eo, qui detinet.

Petes 2. vtrum in extrema necessitate quando proles putatur breui moritura liceat eandem baptizare, in scijs vel etiam inuitis parentibus? Affirmat Sotus art. 10. citato in fine, Henriquez lib. de baptismo cap. 25. num. 1. Lorca 2.2. quaest. 10. art. 12. disp. 37. num. 1. §. Turrianus eadem quaest. disput. inuolunt. vel §. 3. dub. 1. quod etiam censet probabile Suarez disp. 25. sect. 3. §. ex his autem. quae sententia est probabilis, quia quando puero qui aduertitur breui moriturus confertur baptismus, nec sequitur periculum profanationis baptismi, nec periculum abductio- nis proli a parentibus.

Dices ipsamque collatio baptismi sine consensu parentum est actio ipsis iniuriola, cum ad illos spectet cura pueri.

Resp. neg. assumptum in hac circumstantia; ad probationem dico, quod dicitur pertinere ad parentes curam pueri, intelligendum iuxta morale iudicium & iuxta estimationem prudentum; moralis autem iudicio quando proles versatur in extremo discrimine seu periculo aeternae damnationis non cessat inuadi alienum officium & irrogari iniuria parenti, si eo negligente baptismum procurare alius procuret ibi sistendo: nam extrema necessitas proximi plura concedit externo quam per se extra illam censentur permissa. immo Lorca & Turrianus supra censent teneri conferre baptismum.

Aduerte

Aduerte tamen 1. magnā prudentiā opus esse in
vita talis potestatis; nam debet esse moraliter cer-
tum, parvulum in eo esse statu in quo moraliter
de vita eius corporali desperetur. vnde in morbo
etiam graui quamdiu non subest tale periculum
proles non est inuitis parentibus baptizanda; ne, si
superuiuat, sit eripienda parentibus, vel cum apo-
stata periculo illis relinquenda.

2. Non debet vlla vis parentibus inferri, vt pas-
sim Doctores, quia semper habent ius vt nihil cir-
ca prolem fiat, si fieri non possit sine vi illis illata.
Adde quod si vis inferatur, christiana religio in
odum vocetur.

3. Iuxta aliquos non debet baptizari, si scanda-
lum inde oriatur; ita Sotus & Suarez: alij tamen
existimant posse baptizari non obstante scandalo;
Turrianus supra, Vasquez disput. 155. cap. 3. num.

4. quia necessaria ad salutem non sunt propter
scandalum omittenda; sed id non vrget, quia in
nostro casu non agitur de aliquo dimittendo, verum
de non faciendo eo quod communiori Doctorum
sententiā fieri nequit extra casum extremae neces-
sitatis, de quo est quaestio num possit fieri in extre-
ma necessitate non obstante scandalo, seu vtrum
illa circumstantia non adimat facultatem confe-
rendi baptismum; & videtur adimere iuxta p̄so-
rem sententiā, quia id quod ex accidenti est lici-
tum, non videtur licere, si ex modo procedendi gra-
ue odium religionis sequatur. vnde in praxi curan-
dum est vt secretū fiat, quantum fieri potest, & si-
ne infidelium perturbatione.

D V B I V M II.

*Vtrum filij infidelium, qui tantum politice
subduntur principi Christiano, possint
illis inuitis baptizari?*

AFFIRMAT. Scotus in 4. dist. 4. q. 9. Gabr.
in eadem dist. quaest. 2. dub. 5. Lorca supra con-
clud. 2. Eritius dist. 6. §. 2.

Negant communius Theologici D. Thom.
hic.

Aduerte Scotum nolle id cuiuslibet priuato lice-
re, sed principis autoritate. nam censet principes
tanquam Dei ministros posse cogere subditos ad
legum diuinarū obseruationem, & proinde, com-
pellere etiam infideles, vt prolibus suis baptismum
procurent, & si negligant, posse eos punire abstrac-
tione prolium & baptismi procuracione: vnde
censet prudenter procedendum vt parentes nihil
sint, antequam proles baptizetur, ne in odium
religionis christianae & Sacramentorum eam in-
terficiant. si haec incommoda euitari possint, cen-
set principem non tantum posse procurare baptismum
parvulis, sed etiam tenet; quia per se lo-
quendo tenetur vti legitimē ea potestate, quam
habet in subditos.

Ad quaestionem Resp. negatiue.

Probat 1. Ecclesia nunquam procurauit in-
fantes infidelium subditorū principibus christia-
nis religiosissimis hoc modo baptizari, cum tamen
facile potuisset hoc modo baptizari, cum tamen
Ecclesiam nec in se nec in principibus christianis
hanc potestatem agnoscere, & non tantum iudi-
care id non expedire, cum potentissimi & piissimi
Imperatores facile potuissent occurrere incom-
modis.

2. Non licet infideles adultos vi vel metu adige-

re ad baptismum suscipiendum, vt indicat Concil.
Toletanum 4. can. 55. ergo neque videtur licitum
eorum parvulos ipsis inuitis baptizare, cum non
videatur potior ratio vnius, quam alterius.

Probat 3. a priori, non licet hos parvulos ba-
ptizare cum intentione illos relinquendi sub curā
parentum, propter periculum apertum profana-
tionis Sacramenti, neque etiam licet cum inten-
tione eos abstrahendi a parentibus. de priuato id
certum est, cum non possit fingi, ex quo capite ha-
beat potestatem derogandi iuri paterno; non po-
test etiam princeps proles infidelium a parentibus
abstrahere communiter, & ex eo quod parentes
non procurent suis prolibus baptismum.

Probat 4. ea potestas competere principi vel
ex peculiari Dei concessione, vel ex ratione prin-
cipatus & iurisdictionis, etiam nulla intercedente
culpa in subditis, vel propter culpam subditorum,
quam eo modo potest punire; nullo autem ex his
modis dicendum competere principi potestatem
abstrahendi a parentibus parvulos infidelium sibi
politice subditorum, & illis inuitis baptismum
procurandi.

Minor probatur pro prima parte; praeceptum
Domini de baptismo recipiendo & conferendo
potest commodē intelligi, saluo iure cuique a na-
tura competente respectu suae prolis, estque con-
sentaneum vt ita intelligatur; ergo dicendum non
est principi politico peculiariter concessum vt ne-
glecto iure parentum infidelium possit eorum pro-
libus baptismum procurare.

Confir. 1. constat de iure parentum quo suas
proles possunt gubernare earumque curam gere-
re, non constat autem de concessione alicui factā,
per quam illud ius elidatur; ergo pro iure paren-
tum iudicandum est, cum nullus sit deturbandus
in particulari casu iure suo alijs certo, nisi constet
eo deturbandum.

Confir. 2. si quae concessio esset facta, non esset
dicenda facta principi politico, sed Ecclesiae, ad
quam praeceptum baptizandi dirigitur, cum ex hu-
iusmodi praecepto concessio colligi deberet.

Eadem minor probatur pro secunda parte, prin-
ceps politicus ratione suae iurisdictionis non po-
test subditos qui non sint mancipia pro arbitrio
rebus suis spoliare, cum non omnia, quae habent
subditi, ita sint principis vt de illis citra vllam in-
iustitiam possit pro arbitrio disponere; ergo ex
eo capite non potest infidelium proles a parenti-
bus abstrahere, & ipsam inuitis baptismum pro-
curare.

Denique probatur tertia pars, non potest osten-
di parentes infideles peccare, si proles non eurent
baptizari in infantia cessante necessitate, igitur
proles non possunt per modum poenae ab illis ab-
strahi.

Antecedens probatur; non obligantur lege di-
uinā, vel lege naturaliter consequente institutio-
nem baptismi, cum nulla haecenus offendi potue-
rit, non etiam ecclesiastica qua non adstringuntur.
2. licet parentes in eo peccarent non possent a suo
principe puniri, pro quo

Notandum potestatem puniendi connaturali-
ter comitari potestatem legislatiuam; potestas
autem principis secularis, quae ortum habet a po-
testate communitatis politicae, non potest esse ma-
ior intensiue, vel extensiue, quam potestas ipsius
communitatis fuerit; politica autem communitas
non habet potestatem connaturalem codendi prae-
cepta supernaturalia, igitur neque habet ex se

Princeps non habet potestatem puniendi transgressionem preceptorum supernaturalium.

50.

Obiectio 1.

Resp.

Obiectio 2.

Resp.

Potestas principis tantum se extendit ad ea, quæ luminis rationis dicitur conducere ad honestatem morum naturalium, &c.

Principes quasdam leges regulant de supernaturalibus ex tacito consensu Ecclesiæ.

Obiectio 3. ex Concil. Tolet. 4.

Resp.

Obiectio 4.

Resp.

Proles ob crimen aliquod parentem iuste abstrahit, posset baptizari ijs inuitis.

potestatem puniendi eorundem transgressionem, & proinde princeps huiusmodi potestatem non habet.

Confir. princeps non est custos legis supernaturalis, sed naturalis, id est eius quæ oritur ex naturæ principijs, igitur ex se & potestate sua non potest punire transgressionem legis supernaturalis; parentes autem non procurando baptismum suis prolibus solum peccarent contra præceptum supernaturale baptismi.

Dices 1. princeps id potest tanquam Christi minister.

Resp. iam ergo reditur ad peculiarem commissionem, de qua ramen ex nullo capite sufficienter constat.

Dices 2. constat principem posse leges iustas cedere, & adigere subditos etiam propolitis penis ad earum obseruationem; quidni ergo potest ferre legem ut subditi suis prolibus procurent baptismum, alioquin proles ab ijs abstrahendas?

Resp. non posse, quia obiectum est extra limites potestatis politicæ, ut dictum est; cum ea potestas connaturaliter solum se extendat ad ea quæ luminis rationis dicitur conducere ad honestatem morum naturalium, & ad bonum commune politicum ipsius communitatis; certum autem est baptismum non esse talem, cum lumen rationis etiam fide instructum non possit dicere baptismum pertinere ad mores politicos, & bonum ordinis naturæ ipsius communitatis.

Confir. supernaturalia respiciunt creaturam ut à Deo eleuatam supra naturæ suæ conditionem, ex quo fit ut illa non contineantur intra latitudinem obiecti potestatis ciuilibis, sed ab altiori potestate profluere debeant.

Dices principes etiam pij leges condiderunt de spiritualibus, ut patet ex varijs titulis Codicis.

Resp. id fecisse ex tacito Ecclesiæ consensu, & quidem respectu eorum qui Ecclesiæ subiunguntur in spiritualibus; nam respectu aliorum in quos Ecclesiæ non habebat spirituales iurisdictionem, hæc leges nullam vim obtinebant.

Dices 3. can. 55. citato Concil. Tolet. 4. laudatur rex Sisebutus quod suos coegerit fidem amplecti.

Resp. laudari quidem zelum, factum tamen improbari, cum ibidem præcipitur, ne vis in posterum inferatur, & certè zelus illius non fuit secundum scientiam.

Dices 4. princeps potest ius Dei & paruuli defendere.

Resp. hæc nullam esse inuasionem, ut patet ex dub. superiori, & proinde defensionem non habere locum.

Ex dictis sequitur Episcopum, qui simul habet iurisdictionem temporalem in aliquem comitatum &c. si forte habeat subditos inheles, qui baptismum nunquam receperunt, non posse eorum paruulos filios illis inuitis baptizare; quia Episcopus respectu eorum, qui solum subsunt ei in temporalibus, non habet aliam potestatem, quam princeps merè secularis.

Aduerte dicta hoc dubio intelligi per se loquendo, & sepositis particularibus causis propter quas princeps iuste possit prolem à parentibus abstrahere, & eorum curæ subducere; ut si propter atrociam crimina contra legem naturæ vel iustas leges principis commissa, illa vel simili graui penâ possint affici; illo enim casu proles iuste abstracta posset inuitis parentibus baptizari; ea tamen in remagnâ circumspectione opus est, & primò dili-

genter curandum ut hæc pœna non leuiter inferatur, quia pœna debet esse moderata, spectatâ criminis atrocitate & qualitate, & non potest absque aliquâ iniusticiâ excedere in ratione pœnæ conditionem criminis, prout in illo foro consideratur. 2. videndum ne ex illo modo puniendi parentes grauiora mala sequantur, v.g. ne occidant filios, metuentes ne sibi eripiantur, & initientur mysterijs religionis christianæ, vel ne inde implacabile odium contra christianam religionem oriatur, atque adeo ita impediatur multorum conuersio &c. propter quæ auertenda sæpius erit consultus proles non abstrahere à parentibus, quamuis id iuste promeritis.

D V B I V M III.

Virum filij infidelium mancipiorum possint illis inuitis baptizari?

D V B I V M intelligitur de filiis seruis: si enim proles serua non sit, quamuis parens sit mancipium, illo inuito non potest baptizari, quia propter seruitutem parentis non competit ius aliud in prolem liberam quam in alias infidelium liberorum. vnde si proles nata sit antequam parens redigeretur in seruitutem, vel si proles nata sit ex matre libera, licet patre seruo, non potest inuitis parentibus baptizari, quia quoad conditionem libertatis sequitur ventrem, immò idem dicendum si tempore conceptionis fuerit libera, quamuis tempore partus fuerit serua, quia ad libertatem proles sufficit matrem aliquo tempore ante natiuitatem vel in ipsa natiuitate fuisse liberam.

Partem negantem tenet Caiet. hæc & pauci alij.

Affirmant communissimè Theologi præsertim recentiores cum Durand. in 4. dist. 4. quæst. 6. Soto distinct. 5. quæst. vnica art. 10. §. contra hanc autem sententiam. quæ sententia videtur omnino verior. itaque

Resp. ex rei natura licere huiusmodi infantes inuitis parentibus baptizare.

Probatum ex eo quod inde non sequantur incommoda superius allata, cum dominus absque iniuria possit abstrahere prolem seruam à parentibus mancipijs & curare in fide educari.

Dices 1. potestas herilis solum se extendit ad officia ciuilia; vnde quantumcumque proles separetur, non potest dominus illi procurare baptismum qui est iuris diuini. ita Caiet.

Resp. neg. assumptum, & dico eum qui habet mancipium posse, non tantum quoad corpus de eo disponere, sed etiam secundum rationem gubernare quoad animam. quamuis enim per seruitutem proles non adimatur parenti facultas procurandi eidem spiritualia, tamen eadem facultas conceditur domino qui mancipium potest humano & christiano modo gubernare, nullumque habet fundamentum quod ea cura soli parenti competat, non etiam domino.

Hæc ratio non tantum ostendit prolem abstractam posse baptizari, sed etiam posse in illum finem abstrahi quod est contra Sotum supra. quia si actio ex se sit licita, non potest dici infici & reddi illicita propter illum finem ex se honestum & religiosum, neque dici potest parenti fieri iniuria si proles, quæ sine eius iniuria potest ex-

alio sineindifferenti vendi, vendatur eo sine vt baptizetur.

Dices 2. facile fieri potest vt tales infantes postmodum recedant à fide, si intelligant se à parentibus abstractos vt baptizarentur.

Resp. 1. idem incommodum sequi posse ex baptismo collato filiis hæreticorum, propter quod tamen non negatur Ecclesiæ potestas illos inuitis parentibus baptizandi.

Resp. 2. posse curari, vt cum adoleuerint, bene instruantur in fide, & nulla parentum mentio ingeratur, vnde non debet censer morale periculum propter quod moraliter loquendo non liceat tales paruulos baptizare.

Sed difficultas est an liceat baptizare non separando à parentibus. Duobus modis potest intelligi id esse illicitum: primò quia est contra ius paternum; secundo, quia saltem est contra religionem & reuerentiam Sacramento debitam.

Durand. & Sotus suprà censent esse contra iustitiam. Suarez disp. 25. sect. 5. censet saltem esse contra religionem. Valquez verò disp. 155. censet per se loquendo non esse illicitum. & quidem non esse contra iustitiam facile potest ex dictis colligi: cum enim dominus habeat potestatem suum mancipium gubernandi, nullam parenti infert iniuriam baptismum illo inuito procurando. non peccat etiam per se contra reuerentiam baptismi debitam, quia potest diligenter curare ne proles seducatur à parente, cum accesserit vsus rationis, vel prolem, vel parentem vendendo, vel aliter occurrendo malo impendenti. Quòd si aliquis in particulari non possit sufficienter periculis occurrere, nullo modo debet prolem baptizare inuito parente infideli.

Petes num Domini, qui possunt proles suorum mancipiorum illis inuitis baptizare, ad id obligentur? negat Suarez suprà sect. 6. Lorca disp. 37. citata. Afferunt Valquez disp. citata. cap. 7. Turrianus disp. 53. dub. 2.

Quæ sententia per se loquendo videtur probabilior: quia supposito iure domini quod præbet facultatem procurandi baptismum paruulo, charitas videtur obligare vt res adeò necessaria illi procuretur. nec verum est hanc obligationem ad solos parentes spectare, nam potest spectare etiam ad alios respectu quorum paruulus est in graui necessitate; ergo etiam ad dominos, qui si reddant paruulum parentibus vel vendant alijs ethnicis, de æterna salute periclitabitur, de qua bene sperari poterit si procuretur ei baptismus & inter Christianos educetur. Argumenta Suarez non tam videntur probare dominum non teneri procurare baptismum quando potest licite, quam non posse procurare sine peccato in circumstantijs ab eo positis, vt facile patebit ea consideranti.

Dici per se loquendo, quia per accidens possunt excusari, vt si quis non possit commodè tot mancipia alere &c.

Ex his duobus dubijs facile potest resolui num filij Iudæorum inuitis parentibus possint baptizari: id enim pendet à questione, num Iudæi sint mancipia Christianorum: in qua pugnantes sunt Doctorum sententiæ, alijs asserentibus, alijs negantibus, quibus videtur fauere S. Th. hic ad 2. quod etiam satis declarat modus quo principes cum illis se gerunt.

Nec obstat cap. etsi Iudæos, de Iudæis & Sacerdotibus, vbi dicitur, etsi Iudæos, quos propria culpa subieci perpetuæ seruituti. quia Pontifex non vult

eos reipsa esse mancipia Christianorum, cum insequentibus contrarium insinuet, sed solum indicat suâ culpâ dignos redditos, qui in seruitutem redigerentur.

Ex his patet non posse illorum filios ijs inuitis baptizari.

Iudæorum filij non possunt ijs inuitis baptizari.

ARTICVLVS XI.

Verum pueri in maternis uteris positi sint baptizandi?

NEGAT, quod est expositum suprà quest. 66. art. 8. dub. 3. sub finem.

Resp. neg.

ARTICVLVS XII.

Verum furiosi & amentes debeant baptizari?

RESOLVTIO etiam huius articuli potest facile ex dictis colligi, nam si amentes nunquam vsum rationis habuerint, idem de illis est iudicium quod de paruulis, de quibus dictum art. 9. si verò habuerint, non debent baptizari nisi prius constet illos baptismum aliquando petiisse: sufficit verò testimonium vnius fide digni, nec requiruntur conditiones quæ in iudicijs communiter exiguntur in testibus. debet tamen aliquo modo constare quòd voluntatem non retractarint, & quòd obicem Sacramenti effectui non posuerint, ad quod sufficet si nihil sciatur de huiusmodi retractione vel obice.

Resp.

Vt amentes baptizari possint sufficit eum petiisse, ex testimonio vnius fide digni, modo vtrūq; constet voluntate non retractasse.

QVÆSTIO LXIX.

De effectibus baptismi.

ARTICVLVS I.

Verum per baptismum tollantur omnia peccata?



FIRMAT.

Notandum olim quosdam hæreticos negasse peccata per baptismum tolli, de quibus agit Gregorius lib. 9. epistolæ epist. 39. versus finem; quod resuscitauit Lutherus vt patet ex art. 2. inter damnatos à Leone 10. vbi docet peccatum in puero post baptismum remanere. quibus similia docent alij hæretici cum volunt peccatum tegi, non imputari, non verò tolli.

Resp. affir.

1. Quidam hæretici negauerunt peccata tolli per baptismum. Luther.

Sed fide certum est per baptismum peccata verè remitti & deleri.

Conclus. Catholica.

Probatur 1. in Symbolo Concilij Nicæni dicitur, confiteor vnum baptismum in remissionem peccatorum in Concil. Florent. decreto de Sacramentis dicitur, huius Sacramenti (scilicet baptismi) effectus est remissio omnis culpe originalis, omnis quoque peccati, quæ pro ipsa culpa debetur. vide etiam decretum eiusdem Concilij de purgatorio. in Trident. sess. 5. can. 5. dicitur, si quis per Iesu Christi Domini gratiam, quæ in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, sed

Prob. 1. Nica. Florent.